

39. In Pantometriâ fundamenta collectionum tum Logicarum, tum Analyticarum & Algebraicarum demonstrantur.
40. Pantometria ad genuinæ scientiæ formam reducta lucem nondum vidit publicam.

## V. Arithmetiæ.

41. Mirum est Scholasticos definire numerum ex Euclide per multitudinem ex unitatibus collectam, cum tamen hoc ipsorum oraculo: *in definitione nihil sit abundans*, repugnet. Multitudo namque quid aliud est, quam ex unitatibus collectio.
42. Cum unitas æquè ac multitudo numeretur, subtrahatur, addatur, eodemque modò tractetur, ipseque Euclides eam pro numero habeat, frustra sanè vulgè tam anxie propugnari solet, unitatem non esse numerum.
43. Non est probabile Thraces ultra quatuor numerare non potuisse, sicut falsum est nos ultra decem non posse.
44. Arithmeticus nonnulla profitetur exactissimè, quæ tamen nemo capere potest.
45. In Arithmetica datur minimum ab ipsâ naturâ definitum, non verò maximum.
46. Cum decem sint summa numerorum quasi genera 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10., essentiæ verò rerum sint sicut numeri, evidens ex Arithmetica est, cur Aristoteli denarius prædicamentorum numerus præ cæteris arriserit. Citra hunc enim respectum æque plura aut pauciora ac decem constituere potuisset.
47. Fractus purus per integrum multiplicatus producit numerum integrò minorem; sed per fractum alium divisus, sæpe producit numerum fractò majorem.
48. Nisi quis minimum septimum, octavum & nonum libros Elementorum Euclidis cognitos habuerit atque perspectos, Arithmetici nomen sibi arrogare nequit, licet expeditissimè calculos subducere possit.
49. Neminem posse Arithmeticam ex fundamentò intelligere, nisi simul Geometriæ gnarus sit, præterquam quòd numeri evinçant figurati, ipse quoque Euclides testatur, utpote qui  
Arith-